Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

cessi. cognita nimirum unanimitate atque constantia vestra in proposito ordinis vestri.
Innumera sunt illa que iste dei famulus dixit et fecit. in quibus manifestissime apparuit eum prophetali
gratia preditum. multociens eum in spiritu presentem ibi fuisse ubi absens corpore videbatur. multaque
abscondita et longe posita domino revelante cognovisse. que ipsum latere putabantur.
Hec autem significavit nobis dominus Gerhardus quondam abbas longipontis. qui unus ex an-
tiquis senioribus clarevallensis dicta eius et facta studiose rimari satagebat. Ipso quoque re-
ferente cognovimus quod iste dei famulus dum in quodam monachorum capitulo verbum domini predicaret.
duo ex fratribus illis qui aderant viderunt eum cum subsellio in quo residebat in aere suspensum. 7
et quasi mensura unius pedis a terra sublevatum. Hic ergo venerabilis pater
cum esset aliquando in itinere haut procul a castro pruviniense. revelatum est ei divinitus quendam de
filiis clarevallensibus tunc migrasse. Statimque de vehiculo descendens fecit obsequi-
um pro defuncto commendans eius animam deo. Cumque vespere divertisset ad opidum quod
cantamula nominatur. domina ipsius loci que illum in hospicio suo devote susceperat. obtu-
lit ei filiam suam quartano iam modo iam laborantem diu. ut ei manum benedicendo
imponeret et benediceret. Ipse vero benedicens eam atque consignans ait. Adhuc unam accessionem
passura es filia. et liberaberis. Atque ita contigit ei. Alia autem vice cum idem vir 8
beatissimus de Lavimaco nobili villa in episcopatu meldis posita egrederetur. oblata est ei
grandiuscula puella quedam surda et muta. Quam cum imposuisset super collum iumenti sui
respiciens in celum breviter oravit. Cumque saliva sua lavisset labia eius atque auriculas.
benedixit illam. precipiens ut vocaret sanctam mariam. Mox ergo puella que numquam fuerat
locuta. aperiens os suum clamavit et dixit. Sancta maria. Rogerus ergo vir quidam religiosus
et monachus clarevallensis. qui adhuc erat in seculo videns miraculum istud factum in oculis suis compunc-
tus est valde. et sicut asserit nobis materia eam fuit per quam seipsum reddidit in claravalle.
Contigit autem aliquando euntem dei famulum pro quibusdam negociis adire comitem thebal- L II 9
dum. Cumque appropinquasset opido ubi ille tunc erat. obviam habuit turbam hominum copi- c. 15